

riam mutuam amicitiam, pacem atque tranquillitatem; ad Revisionem Terreni inter Vunnam et Colapim Fluvios existentis; interque Domini Episcopi Zagrabiensis Abbatiam ac Ecclesiam, nec non idem Capitulum Zagrabienſe ab una; ac militiam Confinariam Partibus ab altera controversi, accedente Suae Majestatis Sacratissimae annuentia, denominantur Commissarii:

§. 1. Dominus Comes Joannes Palfy, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Banus; eo vero quoquo modo impedito; Dominus Comes Petrus Keglevich: Ac eo etiam impedito; Dominus Comes Joannes Draskovich; Baro Stephanus Druskoczy; Item, eorundem Regnorum Protonotarius ac Adamus Domianich; et unus ex Vice-Comitibus Comitatus Zagrabienſis;

§. 2. Qui praevia praescripti Terreni oculari Revisione, praesente etiam Fisco Regio, necessitatem et quantitatem Lineae Confinariae cognoscent, superindeque genuinam et circumstantialem Relationem, Suae Majestati Sacratissimae, ad faciendam Partibus pro aequo et justo determinationem, submittent.

§. 3. Menstruos autem florenos octo, Episcopo Szegniensi, ex Fundo hactenus consueto, imposterum etiam persolvendos, Sacratissima Suae Majestas benigne resolvit.

*Instantiae Familiarum Fancsy et Desöffy; ad Revisionem Commissionalem remittuntur.*

#### Articulus 85.

Et quia Sexus foeminei homines, a Familia Fancsy de Gordova descendentes, ad Bona de Gordova, Petne, Velike et Babagora, Pertinentiasque eorundem in Comitatibus Posega et Veröcze existentes, per Majores Suos ultra duo Saecula pacifice possessa;

§. 1. Familia autem Desöffy de Csernek, ad Arces, sive Castra Posega, Csernek, Dinovicz, Podvercza, Presztocs, aliter Eleskö, Leboraz, aliter Vaskapu et Eszek, eorundemque universas Appertinentias, in Comitatibus Posega, Valko et de Orbacz existentes et habita, Victribus Caesareo-Regiis Armis, a jugo Turcico vindicata, perque Cameram Suae Majestatis Sacratissimae Jure Neo-acquistico, partim etiam actualiter possessa partim autem aliis distracta, se legitimum Jus habere, id ipsumque Privilegiis et aliis Literalibus Instrumentis edocere velle obtulissent; Proinde Jurium annotatarum Familiarum, ad praescripta Bona habitorum Revisio; abindeque pedentis Juris et Justitiae iisdem impendenda Administratio; ad Commissionem in Article 10. constitutam remissa est.

*Infrascripti Ordines in Regnum Ungariae, Partesque Eidem annexas recipiuntur.*

#### Articulus 102.

Ad demissam Ordinum infrascriptorum coram Statibus et Ordinibus, super Receptione Sui in Regnum Ungariae, Partesque Eidem annexas, factam Instantiam;